Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift

6

hostibus credi, non potuit tamen sancte paupertatis confessor sine caelesti mercede torqueri. Multos inquiunt etiam christianos fames diuturna uastauit.
Hoc quoque in usus suos boni fideles pie tolerando uerterunt. Quos enim fames necauit, malis uite huius sicut corporis morbus eripuit. Quos autem non necauit, docuit parcius uiuere, docuit productius ieiunare. Sed enim multi etiam christiani interfecti sunt, multi multarum mortium feda uarietate consumpti.
Hoc si egre ferendum est, omnibus qui in hanc uitam procreati sunt utique commune est hoc. Scio neminem fuisse mortuum qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem uite etiam tam longam quam breuem uitam hoc idem facit. Neque enim aliud melius et aliud deterius, aut aliud maius et aliud breuius est, quod iam pariter non est.
Quid autem interest quo mortis genere uita ista finiatur, quando ille cui finitur iterum mori non cogitur? Cum autem unicuique mortalium sub cotidianis uite huius casibus innumerabiles mortes quodam modo comminentur, quamdiu incertum est quenam earum uentura sit, quero utrum satius sit unam perpeti moriendo, an omnes timere uiuendo. Nec ignoro quam citius eligatur diu uiuere sub timore tot mortium, quam semel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pauidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata conuincit. Mala mors putanda non est, quam bona uita precesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis qui necessario morituri sunt quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur christiani nouerint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii diuitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt qui bene uixerunt? At enim in tanta strage cadauerum nec sepeliri potuerunt.
Neque istud pia fides nimium reformidat, tenens predictum nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit.
Nullo modo diceret ueritas: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quicquam obesset future uite quicquid inimici de corporibus occisorum facere uoluissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat eos qui corpus occidunt non timeri debere ante mortem ne corpus occidant, et timeri debere post mortem ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo quod ait Christus: Qui corpus occidunt et postea non habent quid faciant, si habent tanta que de cadaueribus faciant. Absit ut falsum sit quod ueritas dixit. Dictum est enim aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo, postea uero nichil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaque corpora christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a celo et terra separauit, quam totam implet presentia sui qui nouit unde resuscitet quod creauit. Dicitur quidem in psalmo: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas uolatilibus celi.

De metu mortis

No[ta] ...

No[ta]

De sepultura